

Behrnauer

1718

Sächsische
31 | 4°
342
Landesbibl.

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

SVB
**LVSTRATIONEM VER-
NALEM,**

IN
GYMNASIO BUDISSINO

VIL. KALENDAS MAIET SEQUENTIBUS

A. O. R. cīc idcc xviii.

AVITO MORE SVSCIPIE NDAM
ACROASES PRIVATAS
SINGVLIS DIEBVS MERCVRII

POST HOR. IX
DEI PATRONORUMQUE AUSPICIIS
INPOSTERUM HABENDAS

INDICIT

GYMNASIIQUE CURATORES ET MUSARUM
PATRONOS CETEROS,


UT

SIQUANDO PER OCCUPATIONES LICUERIT
SUPERVENIRE SUBINDE VELINT DICTURIS
DECENTER INVITAT

M. George Ehrenfried Behrnauer/
RECTOR.

BUDISSÆ, LITTERIS RICHTERIANIS.

Eloquentia vera & fulsa




Loquentia copiose loquens sapientia est. Confirmat hoc eleganter Gallus eruditissimus Mr. Gibert de *la veritable Eloquence Paris. 1713.* Quam enim hoc in libello vere dicit: *L'eloquence n'est autre chose que la sagesse même, quand elle est riche en expressions & en pensees, & habile à trouver les chemins du Coeur.* Quae cum ita sint, suspicari forte quis poscit, sublimiorem longe artem esse dicendi, quam ut juvenilis artas eadem in Scholis debeat impetriri. Neq; profecto pauci hodie ita opinantur. Disertissimus VIR P. LAMY, quo Rhetorum excellentiorem non vedit Gallia, onine propemodum eloquentiae studium, *dans la Connoissance de soy même* e Scholarum umbraculis proscribit. Appellatenim Oratoriam, quae in Scholis & Gymnasiis traditur, *la fausse eloquence*, cuius exortem esse oporteat Juvenem. Praecipue vero hoc spectat, quando l.c. inquit: *L'étude de la Rhetorique est tres dangereuse à ceux qui n'ont nul acquis dans les sciences, & paulo post. De la seul il est visible, qu'on ne devroit jamais enseigner la Rhetorique qu'à des gens, qui seroient déjà Philosophes.* Neque adeo multum ab eo recedit Sebastianus Stadelius, in *Epistola ad Janum Philomusum de Circumforanealiteratorum vanitate*, quae adjecta est JO. EURLARDI MENCKENII *declamationibus de Charlatan. edit. Amstelod.* Hic enim l.c. p. 227. ολο των μυντυς Doctores Scholasticos suspendens scabiose eos propemodum traducit, quod imberbes Oratores (perinde ac si arduo huic muneri, uti loquitur, pueri sufficerent) in scenam proferre auderent. Piscatorum enim instar hamis eos imponere escam cavillatur, quam scirent appetituros esse pisciculos (i.e. discipulorum Parentes) qui alias sine spe praedae moraturi sint in scopulo. Ad hos proxime sane accedunt Observatores Halenses. Hi namq; Tom. II. *Observ. VIII. §. 41. seqq.* Oratoriam veriati noxiā esse adfirmant; Hi Oratorem, contra quam Quintilianus olim statuerat, Virum bonum non esse opinantur; Hi superioribus, quas dicunt, facultatibus maxima quaeq; per eloquentiam damna inferri statuunt. Haec vero si ita sunt, ecquis ad tam suspectae artis notitiam Juvenes erudiri posse crederet? Quid de Schuppio dicam, lepido illo & faceto Viro? Hic omnem Oratoriam spatiose mentiendi artem appellat; de quo vid. ipsius Lehr-reiche Schriften Francofurti 1701. 8. praecipue Tractat. Freund in der Not pag. 246. Hic satius longe esse opinatur in Scholis & Academiis, stipendiis publicis constitui Professores, qui Juvenes, tacendi quam multa dicendi artem edocerent; vid. l.c. ej. Salomon. l. Regenten-Spiegel pagin. 20. Enimvero parum nos hi omnes si dicendum quod res est, morantur. Quod, senim ad eruditum Gallum P. LAMY attinet, ille vero sui jam erroris a Cive tuo ingeniosissimo & supra citato Mr. Gibert fuit convictus. Cujus elata quanquam conatus sit eludere *dans la Rhetorique de Collège trahie par son Apologiste Paris. 1704.* ipsi tamen ab adversario apte satis fuit responsum, qui ei *Reflexions sur la Rhetorique au l'art de parler opposuit*, quem librum communem propemodum eruditorum promeruisse ad plausum inter omnes fere constat. Praeterea ipse LAMY in auro suo contra cariore libro, quem *la Rhetorique au l'art de parler adpellat*, cuius quinta paulo ante Auctoris obitum editio Amstel. prodidit, inque ipsius praecipue praefatione inquit: *Rien de si important, que de savoir persuader.* Quod si verum est, uti omnino est, an ad tam nobile eruditiois decus non mature Juventutem forma-

re

(1718)

1958 II 534

56 | 3484,4
X



re fas est? Satis enim eleganter Fridericiani Gymnasii, quod Altenburgi
 floret Director CHRISTIAN. FRIDER. WILISCHIUS, Fautor atque Ami-
 cus noster a Commilitio Academico certissimus, in quodam *Programm. 1715.*
Altenb. conscripto, inquit: *Linguae laxare tendines & Juvenum ingenia ad
 eloquentiae facultatem efformare maturius, primarum omnino partium id esse
 autumant, quibus datum est erectoris animi adolescentes ad bonas artes & lite-
 rarum doctrinam sua incude diffingere.* Evidem, LAMY inquit: *Jesuis per-
 suade, que l'homme fait naturellement l'art de parler.* Non refragor. Sed
 quod naturae munus est, arte procul dubio felicius multo poterit expoliri.
 Cur itaque Juvenes ab his Cancellis arcet? Solam enim naturam rem omnem
 in eloquentiae studio conficere, non facile dixerit. Adfirmavit id olim
Sextus Empiricus, e recentioribus vero *Rolandus Marcius*, utrumque au-
 tem non praeter rem notavit VIR summe Reverend. Rechenbergius *cap. VI.*
Libri singularis de studiis Academicis. Torpet enim omnis natura, nisi arte
 subinde excitata, novas vires resumit. Sebastianum vero Stadelium suo
 libenter sensu abundare patimur. De Charlatanismo quaedam commen-
 tatus, sui forte ipsius oblitus est. Quis enim imberbes Oratores tam arduo
 muneri omnino sufficere, vel per somnium saltem cogitavit unquam? Ne-
 que meminisse possum eo audaciae abiisse ullum, ut Oratores omnibus nu-
 meris absolutos ex angustis Scholarum Cancellis prodire adfirmaverit? Sed
 pone, mi Stadeli, in Scholis linguae vincula non solvi, quos postea habebis O-
 ratores? An barbae Opacitas robur addet, ut tanto muneri sufficient? Si
 hoc, vereor ne Dux Gregis ipse Caper, Tibi, si non magnus Philosophus,
 at certe Orator sit. Quod vero Scholae Doctores lucri saltem causa in Palae-
 stram suos ducere Oratoriae Tyrones scribis, temeritate non caret. Quod
 si enim ex quorundam ingenio judicas omnes, aequa erras, ac si quis ad Ity-
 li tui petulantiam (vide quae de tam casto dicendi genere cujusquam possit
 esse opinio) Civium tuorum omnium velit emitiri indolem. Sunt profecto
 in Scholis etiam Viri boni, qui non ut Sophistae apud Platonem discipulos
 divites mercedis causa venantur, sed saluti eorum, spredo omni propemo-
 dum lucro consulere unice exoptant. Habet tamen adhuc aliquid hic Cen-
 sor, de quo sibi & gratulatur & gaudet, fere ut pueri de faba. Illud multo
 est, inquit, obscoenius, quam ut Charlatanismi nomen mereatur, cum ii-
 dem umbratici Doctores discipulos jubent publice declamare, Graeco, Syria-
 co, Hebraico sermone, & Oratoribus & Auditoribus ignoto. Sed bona
 verba! Res enim tam obscoena forte non est, quam eandem Tibi, Bone
 VIR, fingis. Nimia peregrini sermonis exercitia Oratoria Charlatanis-
 mum sapere negaverit facile nemo; at interdum sine ulla hujus vitii suspi-
 cione posse admitti, nullus etiam paulo prudentior, praeter Te, inficiatus
 est unquam. Graecae saltem literae eruditis fere omnibus aequa ac Roma-
 nae sunt familiarissimae, & si non sunt, esset tamen censetur. Cur itaque
 Juvenes inter declamandum iisdem uti sibi religioni ducant? Accedit quod
 magni Prudentesque Scholarum Patroni, non Auditoria ingrediantur ideo,
 ut a Tyronibus sive erudiantur sive meliora edoceantur, sed ut sua modo
 praesentia & veternum excutiant dicentibus & stimulos addant, aequissimi
 semper & virtutis & industriae arbitri existentes. Enimvero quid tandem de
 Observatorum Halensium opinatione statuendum erit? Hanc eo minus ex-
 minare nunc lubet, quo magis credimus eos forte non masculam & sobriam
 eloquentiam, cuius ipsi assertores fuerunt & κοσμηται, sed inanem & elum-
 bem saltem dicacitatem innuisse, qualem jam olim *Nicolaus Vigelius*, maxi-

mam intulisse cladem Juris - Prudentiae, *Gustavus Georgius Zeltnerus* autem Theologus Altiorinus, omnium haeresium matrem extitisse publice fassus est. Ad quem ipsum Oratoria abusum forsan & supra citatus *Schuppius* respexit. Quis namque omnes Oratores semper veritatem in animo habuisse crederet? An enim hoc Tibi persuaferis de *Birkhaimero, Cardano, Galatheo & Pontano*, qui laudibus fere divinis Podagram sunt persecuti? An idem admireris de *Joh. Passeratio*, qui, postquam infelix Pilae usus alterum ipsi oculum abstulerat, Caecitatem summis depraedicare encomiis ausus est? An serio egisse dixeris *Hengendorphinum, Bucoldianum, Turnerum* & recentissime modo *Mr. de Fallengre* ebrietatis laudes decantantes? An *Caelius Calcagninus & Carol. Liebhardus* ad veritatem respexerunt, cum ille, nescio quam obscoenae fordis, hic latrinae (sit venia verbo) scripsit encomium? An *Cap. Dornavius* invidiam, *Jordanus Bruno Nolanus* ipsum infensissimum humani generis hostem ex animo publice laudavit? Paradoxa haec sunt ingeniique felicis ludibria, quae in abusum artis dicendi non sene raro dilabuntur. An vero ideo omni Oratoria Juvenibus, sicuti Romani olim quibusdam Civibus aqua & igni interdices? Minime gentium. Accedit, quod supra laudatus *Mr. Gibert* in elegantissimo suo libro, cuius titulus : *Jugemens des savans sur les Auteurs qui ont traite de la Rhetorique pag. 22.* ne illam quidem falsam eloquentiam esse fateatur, quae falsa pro veris & virtutes pro vitiis venditat; sicuti nec illa vera semper & mascula Oratoria est, quae ea tuetur, re ipsa quae vera sunt & habentur ab omnibus. Haec itaque cum ejusmodi sint, tantum abest, ut ab Rhetorum Oratorumque deliciis temere prohibendos esse Adolescentes statuamus; ut potius qui spartam suam rite ornare cupiunt, Scholarum Doctores, id unice operam dare debeant, ut suos, quantum fieri potest, disertos faciant. Nos sene qui de hujus rei veritate dubitavimus nunquam, non quavis modo oblata occasione svavissimis dilectissimisque discipulis nostris, loquendi copiam *huc usque fecimus*, persvasi tantum eos scire, quantum eloqui possunt; sed ut lingvae etiam ingeniique vires in iisdem magis obfirmemus magisque, animum induximus nostrum, quovis, per singulas hebdomadas, Mercurii die, divina gratia armati, quosdam eorundem producere promta memoria verba facturos. Quorum ut dicendi argumenta constent, ea heic nonnulla describere consigna- reque voluimus. Aget itaque, cui Ill. Maj. dictus est

ACROASIS I.

de

VRBE BVDISSA INCENDII DELETA AT GRATIA DEI REÆDIFICATA.

Prologi partes explebit *Gottlob Ehrenfried Stolle* Episcopol. Misn. qui Thematis rationem evoluturus, illud cum tempore ad prime convenire docebit, quippe quod Memoriae tristissimi & horrendi incendii, quod Anno 1634. totam Vrbem, una cum innumeris fere incolis exedit festum est atque sacrum.

Joh. Zwar/ Budiss. Luf. Urbem Budislam intra favillas abjectam Carmine latino Trochaico deplorabit.

Christianus Fridericus Lange/Lub. Siles. Militis hostisque saevitiam, in misera urbe tum conspicuam, describet Oratione Græca.

Carl

Carl Heinrich Zachariae, Crosn. Siles. aedem sacram combustaque
in ista hominum corpora illacrymabit Carmine Germanico.

Gottfried Riemer/ Ruten. Siles. Gratiam DEI, post tot incendia,
in Vrbe Budissina memorabilem & mirabitur & depraedicabit
Orat. Latin.

Joh. Christian Rachlisz/ Budiss. Patres Vrbis nostraræ Conscriptos,
Ministerium, Gymnasium omnesque incolas DEO demisse
commendabit.

ACROAS. II.

de

RELIGIONE ERUDITORUM.

Joh. Hobian, Meschvv. Luf Orat. Lat. quaestionem evolvet; An
eruditio faciat Atheos?

Siegfried Zeidler de Rosenberg/ de eo, quod vulgo dicitur Religio
Eruditorum, aget Orat. German.

Christoph. Sande/ Guben. Lusat. causas Religionis Eruditorum
exponet Orat. Latin.

Christian Gottlob Schumann/ Regiom. Luf. de Patriarchis Eru-
ditorum Relig. ex historia literaria disputabit.

Joh. Gottfried Knöcher/ Lips. Misn. veram & Orthodoxam Reli-
gionem pia votorum supplicatione DEO tradet.

ACROAS. III.

de

PHILOSOPHIA BRUTORUM.

Prologi munere fungetur **Gottlieb Krause**/ Budiss. Lusat. divinam
sapientiam in brutis conspicuam miratus.

Christianus Gotthelff Teupitius, Jutterb. Sax. Logicam Brutorum
exponet Orat. latin.

Joh. Jacob Purmann/ Metaphysicam Brutorum sistet Orat. germ.
Joh. Georgi, **Johann Georgenstadt** Misn. Physicam brutorum
contemplabitur orat. lat.

Christianus Haberland/ Budiss. Mathesin Brutorum evolvet Orat.
Germ.

Epilogi spartam subbit **George Krause**/ Budiss. Luf.

ACROAS. IV.

de

RE MUSICA.

Joh. Miegel, Crosn. Siles. de Musices præstantia perorabit latine!

Heinrich Erdmann Seegnitz/ Löb. Luf. de Eruditis φιλομάθοις verba
faciet Latina.

Gotthelff Daniel Weißmann/ Pulsn. Luf. de Eruditis μισθωτοῖς O-
rationem habebit Germanicam.

Martinus Fridericus Metius, Lub. Luf. de Abusu Musices dicet
Germanice.

Chri-

Christoph Heinricus Holzhammer / Jenckendorf. Luf. aeternos
Musices concentus Caelicolarum mirabitur stilo Poetico.

ACROAS. V.

de

ANTIQUITATE ET UTILITATE SCHOLARVM.

Michael Häger/Senftenberg. Misn. Scholarum antiquitatem inter-
pretabitur.

Joh. Ephraim Fidler/Sebn. Misn. Utilitatem Scholarum exponet.
Joh. Gottlob Lehmann / Gorl. Luf. Hostes, & inimicos Schola-
rum recentebit.

Christianus Beckel/ Löb. Lufat. de futili eorum inferendi modo,
qui Scholas contemnunt, disseret.

ACROAS. VI.

de

ELEMENTIS IN BONAS LITERAS INIQUIS.

De Igne in bonas literas iniquo aget Andreas Bernhard, Cunners-
dorf. Luf. Orat. Latin.

De Aqva artibus liberalibus inimica dicet Orat. Teuton. Joh. Jo-
achim Strecker, Camin. Pomeran.

De Aeris erga Musas inclemencia verba faciet Ephraim Jacob
Otto, Elystr. Luf. Carmine Germanico.

De Terræ in rem Literariam iniquitate loquetur Joh. Gottlob
Leitsch/ Carmin. Latino.

ACROAS. VII.

de

QVIBUSDAM THEOLOGORUM SINGULARIBUS.

Theologos semiseculares recensabit Oratione Latina Joh. Gerique
Ban. Pomer.

Theologos Ecclesiae nostrae Generosos fistet Jo. Benjamin Telz-
kovius Neo-Marcinita Orat. lat.

Theologos in utero Deo consecratos exponet Christianus Lu-
dovicus Mierisch, Dresd. Misn. Orat. latin.

ACROAS. VIII.

de

ARTE ET MARTE

firmis honorum Praesidiis.

Joh. Carl de Mezerad, Equ. Luf. & arte & marte viam communi-
ri ad honores docebit Orat. Germ.

Erasmus Leopold de Gersdorff/ Equ Luf. Literas armis esse praec-
ferendas tuebitur Orat. latin.

Wolff Adolph. de Bergen, Equ. Luf. arma literis praestare evin-
cere conabitur Orat. Germ.

Joach.

Joach. Seyfried de Köckriz, Eqv. Luf. ex historia hoc ulterius
illustrabit stilo Romano.

Calpar Gottlob de Luck, Eqv. Luf. neutrum alteri jure posse præ-
ferri affirmabit Carmine Germanico.

ACROAS. IX.

De

Tribus Musarum Furiis.

VOLVPTATE, SVPERBIA & INOBEDIENTIA.

Voluptatem describet Petrus Kern, Nadelvviz Luf. Carm. Latin,
Superbiam delineabit David Sigismund Kriegelstein, Budislin.
Orat. Germ.

Inobedientiam exponet Gottfried Lohr Engel / Ruten. Siles,
Orat. Latin.

ACROAS. X.

de

QUIBUSDAM ERUDITORUM SINGULARIBUS.

Christistian Gotthelff Marche, Budiss. de Eruditis cæcis perora-
bit Latine.

Idem argumentum perseqvetur eruditorum quorundam cæcitatem
moralem miratus Inscriptione lat. na Erdmann Gottfried Schnei-
der / Bud. Luf.

Henricus Pfeiffer / Forst Lusat. de Eruditis Superbis verba faciet
Germanica.

Idem argumentum considerabit Inscriptione Germanica Christ.
Gottlieb Behrnauer Forsta Lusat.

Christianus Gottlieb Müller / Gorl. Lusat. de Eruditis Rusticis
aget Orat. Latin.

Idem argumentum decantabit Carm. German. Daniel Klien /
Hoyersvv. Lusat.

ACROAS. XI.

de

FVGIENDA LVDENDI PRAVA CONSVETVDINE.

Andreas Gottlob Cubitius, Calov. Lusat. Ludendi Cacoethes
qvandam veluti adolescentum Pestem esse evincet Orat. Latin,
David Schober, Ruten Siles, viam hoc monstrum fugiendi mon-
strabit Orat. Germ.

Joh. Friedrich Petsche / Krisch. Lusat. Carm. Germanico erudi-
tissimi Galli Hedouillii de Sallo, qui ex mœrore, quod intra
aliqvt horas centum millia thalerorum ludo perdiderat, mor-
tuus est, interpretabitur *vitan*.

ACROAS

ACROAS. XII.

de

PEREGRINANDI RATIONE.

De Peregrinationibus Literariis præcipue Romanorum Academicis perorabit Caspar Gottlob Prestovvinus, Soland. Luf.
De Peregrinationibus Religiosis differet Gottlob Hempel Kd: nigrswarth. Lusat.

De Peregrinationibus Politicorum veroq; earum fine aget Joh. Gottlob Kirchhoff Loeb. Lusat.

De Optima Christianorum Peregrinatione ad cœlorum πολίτευμα verba faciet Heinrich Gottlob Hoffmann / Bernst. Lusat

ACROAS. XIII,

DE SARTORVM ET TEXTORVM.

antiquitate & præstantia.

Joh. Gottlob Schneider / Gebhardsd. Lusat. Antiquitatem & præstantiam Sartorum describet.

Abraham Gottlieb Weber / Senftenb. Misn. antiquitatem & præstantiam Textorum afferet.

His, divinis sub auspiciis in posterum, nulla loci, qvem obtinent, ratione habita, dicturis adhuc addimus:

Gottlob Siegmund. Jancovium, Gub. Lusat.

Joh. Knescke, Loeb. Lusat.

Martin Zieblerum, Forst. Lusat.

Joh. Jacob Borsch, Großv. Lusat.

Dan. Weckerum, Wies. Siles.


Carl Gottlob de Ziegler & Klipphausen. Eqv. Lusat.

Joan. Christ. Otto, Reichenbach / Lusat.

Qyorum dicendi perorandi argumenta hic nobis describere non licuit, qvia sive ex Novellis publicis, sive aliis Casibus, (qvos, utinam, qvod instat tempus, felicissimos nobis afferat) loquendi materiam capessent.

Hæc itaqve erit tela, qvam nobis divina annuente gratia auspicaturis, in posterum etiam ιστορίας θελήση continuare animus est. Favete modo his Progressionibus Patroni, Gymnasiiq; Inspectores gravissimi, & si per occupationes vacaverit, de improviso dicturis subinde haut gravatim intervenite. Qvod sicuti observanter à Vobis rogamus: ita ad capessenda studiorum incrementa nostros Alumnos non parum excitabit. Scrib. Budif.

sæ d. 22. April. 1718.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

25. April 1996

Preis:

Bild K

56
3404

zu:

zu:

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0307916

